



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Visitationis Personarvm, & locorum exemptorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

Dies a qua hora incipiat, ne matrimonium contrahi possit à prima die Aduentus vsque ad diem Epiphaniæ; & à feria 4. cinerum vsque ad Octauam Paschatis.

- 1** **E**X dispositione tex. in c. consuluit de officio delegati colligitur diem propriè dici, quando Sol est super terram, & ita dixit Federic. de Senis in consil. 44. num. 2. ver. nam tunc dies, vbi quod dies finitur ab hora completorij, & quod nox non venit appellatione diei, nisi per fictionem, & idem consil. 256. in fin. vide Alex. consil. 190. Plura. n. 20. li. 6. vbi dicit, quod dies dicitur esse viginti quatuor horarum, & statutum puniens delinquentem maiori poena in die, vel in festo B. Mariæ, non habet locum in eo, qui deliquit in nocte sequente festum prædictum, quia per fictionem dicitur dies, vel pars diei non vere, Alex. dicto consil. 44. per totum, & consil. 256. per totum.
- 2** Et ideo dies dicitur à luce, & nox à tenebris, & per lucem, & tenebras diuiditur dies à nocte, quia Deus appellauit diem lucem, & noctem tenebras. Genes. c. 1. & Gem. in cap. fin. §. in festiuitatibus colum. pen. de sententia excommunicationis lib. 6. Ioan. Andr. in dict. lib. 6. Ias. in l. more Romano num. 8. ff. de ferijs, licet tamen attendatur vsus loquendi, vt tenet Gar. vbi supra, prout etiam dies intelligitur orto iam Sole in nostro hemispherio, vsque dum ab illo effugiat, & postquam ab illo effugit, dicitur nox, vsque iterum in hemispherio oriatur, quando statutum punit delinquentem maiori poena, seu aliquod maleficium de nocte perpetratum ca. si perfodiens, vbi Doct. de homicid. c. primo, vbi etiam notant scribentes, C. de custodia reorum, & Bar. in l. aut facta §. tempus num. 2. ff. de penis. Abb. in c. quoniam nu. 3. de fer. & Ias. in l. Titius §. Lucius num. 16. ff. de lib. & posth. in iudicialibus tamen actis incipit hic mane, vbi primum dies elucescit, & à tenebris terminatur ca. consuluit de officio deleg. Auth. de Iud. §. sedebunt col. 6. gloss. verb. prius in c. quoniam de fer. & Abb. in d. c. si perfodiens num. 2. de homicid.
- 3** Quibus sic præmissis, deueniendo ad quæstionem præpositam, firmandum est, matrimonia prohiberi contrahi à prima die Aduentus, & sic à media nocte diei prædictæ, eum ab eo tempore incipiat dies more Romano l. more Romano. ff. de ferijs, Bellam. consil. primo num. 3. Alexandr. consil. 190. num. 20. lib. 6. hinc videmus, quod dies incipit à media nocte, in mediam noctem vidend. & Cardos. in prax. Aduoc. Iud. verb. dies nu. 2. & Cardin. Tusch. conclus. 407. litt. D. plures Doctores refert Cened. ad decretal. collectan. 22. Ledesm. in Summ. part. 1. de Sacram. matrim. capit. 10. conclus. 8. dub. 1. versic. el terzo. Reginald. in prax. for. penitent. lib. 31. num. 188. Bonacin. de magn. matrim. Sacram. q. 3. part. 14. num. 14. & Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 7.

PRAXIS VISITATIONIS PERSONARVM, & locorum exemptorum.

RESOLVT. DLXIX.

- 1** Visitatio ad quos spectat, & num. 2. 3. & 4.
5 Visitandi potestas transit ad Capitulum Sede vacante.
6 Capitulum viuente Episcopo, quando habeat ius visitandi.

Facultas concessa Episcopo visitandi loca exempta, tanquam Delegato Apostolico, an transeat in Capitulum Sede vacante.

- 1** Visitandi potestas singulis Prælati Ecclesiasticis, quibus iurisdictio, & administratio conuenit

radicata est in capit. 1. §. hunc de censib. in 6.

- 2** Sic etiam legati Pontificis, qui non sunt à latere, sed dicuntur nati, quibus legatio Apostolica cõpetit, ratione dignitatis, in qua sunt constituti cap. cum instantia, & c. procuraciones de censibus, Nouarius in suo opusculo noui Iuris Pontificij conclus. 1. num. 3. de visitat. vbi etiam num. 4. affirmat, quod legatis Apostolicis id competit, si tamen visitandi onus eis specialiter sit impositus, vel si vrgens aliqua necessitas visitationem poscit ad textum in dicto c. cum instantia, & c. procuraciones, idem affirmans n. 5. de Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Plebanis, & alijs inferiorib. visitandi ius habentibus, si id longa consuetudine præscriperint c. super eo, & c. cum Apostolus de censibus, de quibus recenset Concil. Trident. sess. 24. de reformat. dict. c. 3. loquendo mandat, vt Archidiaconi, Decani, vel alij inferiores in his Ecclesijs, vbi hæcenus visitationem exercere legitime consueuerint, debeant assumpto Notario de consensu Episcopi deinceps per se ipsos visitare, prout similiter competit hoc visitandi ius Abbatibus, Generalibus, Prioribus, Ministris, ceterisque Præsidentibus in Monasteriis Religiosis, vel deputatis in iisdem ad text. in c. in singulis, & c. ea quæ de stat. Monachorum, sic etiam, & Abbatibus, alijsq; Regularibus, in Monasteriis quibus degunt, & in alijs earum iurisdictioni subiectis, licet visitationem exercere, Clem. attendentes, in princ. de stat. Monach.
- 5** Immo, vt deueniam ad resolutionem articuli propositi, an visitandi potestas Episcoporum transeat Capitulo Sede vacante, quod potest visitare Ecclesias Episcopatus subiectas, vt habetur in Summa Bullar. in verbo Capitulum Sede vacante, vers. quibus sic prælibatis, Azor. instit. moral. quæst. 14. lib. 3. c. 37. p. 2. annuens quæst. 15. non posse visitare Monasteria Monialium exempta, quæ auoquin potest Episcopus vt delegatus Sedis Apostolicæ, prout ita voluit Rota in vna Burg. Idris visitandi 1588. coram R. P. Orano, vbi tractabatur de visitando Monasterio Monialium non exempto, & fuit decisum illud visitari posse à Capitulo Sede vacante. Ego ipse in praxi resolut. 533. par. 1. in magn. vbi affirmo habere locum etiam quando Sedes Episcopalis, quasi vacat veluti Episcopo à Turcis capto, refert Nouarius in dicta conclus. 1. n. 8. de visitat. vbi ampliatur Capitulum adhuc viuente Episcopo ex præscriptione, vel privilegio visitandi ius habere, vt ex Concil. Trident. sess. 24. dict. c. 3. versic. visitatores, quo in casu annuit decisum visitatores debere esse approbatos ab Ordinario.

RESOLVT. DLXX.

- 1** Visitatio Ecclesiarum exemptarum fit ab Ordinarijs tanquam Delegatis Apostolicis, etiamsi essent seculares Ecclesiæ.
2 Visitari nequit locus exemptus ab Episcopo exclusas in fundatione.

Visitari an possit locus exemptus ab Episcopo quoties in fundatione fuit exclusus.

- 1** Hodie ex dispositione Sac. Conc. Trid. Ordinarii locorum possunt, ac debent singulis annis visitare Ecclesias, quomodo libet etiam exemptas tanquam Sedis Apostolicæ delegati, vt in sess. 2. de reformat. c. 8.
2 Quod procedit etiam respectu Ecclesiarum secularium, quæ nullius sunt Diocesis, nam istæ quoque ab Episcopo, cuius Cathedralibus est proximior, tanquæ Sedis Apostolicæ Delegato singulis annis visitandæ sunt, vt habetur in eodem Concilio sess. 24. c. 9.
3 Et huiusmodi Constitutio Concilii locum habet, quamuis facultas visitandi in fundatione Prælato inferiori

riori sit concessa, quia non ob id censetur adempta, facultas visitandi tributa Episcopo ex dispositione eiusdem Concilii, cum intelligi debeat cumulatiue, non priuatiue ad Episcopum, contra quem debet esse expressa prohibitio, vt censuit Sacra Congregatio Concilii, & tenuit Rota in vna Abulen. iuris visitandi 10. Nouëbris 1600. corâ Ludouïso, deinde Gregorio XV.

4 Quinimmo licet Episcopus ex propria voluntate sibi aliquos adiunxit pro visitatione faciendâ, vt sibi permittitur à Concilio dictâ sess. 6. c. 4. vel etiam vigore concordie inter ipsum, & Capitulum, etiam à Sede Apostolica confirmatâ habeat visitare cum aliis quibus Canonici assilientibus eligendis à Capitulo, non propterea tenetur adhibere Consilium, vel consensum prædictorum, vt tenuit Rota in vna Illerden. visitationis 13. Nouëbris 1602. coram Iusto.

5 Et circa eas, quæ principalem articulum concernunt dico facultatem traditam Episcopo loca exempta visitandi, minime procedere quoties in fundatione Episcopus fuisse exclusus, vt fertur declarasse Sacra Congregatio in his verbis, Congregatio Concilii censuit ex decreto Concilii cap. 8. sess. 22. non posse visitare omnia loca exempta nisi aliter cautum sit in institutione, quam declarationem refert, & sequitur Ludouïf. in decif. 81. Garz. de benefic. par. 1. cap. 2. numer. 99. sed vide contrarium apud Nouarium in opusculo noui Iur. Pontific. concl. 3. de visitat.

RESOLVT. DLXXI.

1 Ordinarij appellati veniunt inferiores Episcopo, An Ordinarij inferiores Episcopo habeant ius visitandi loca exempta.

1 Illud propterea admonendi sumus, quod decreta Concilii in locis supra citatis loquentia de Ordinarijs comprehendunt etiam inferiores Episcopo habentes iura Ordinarij, cum materia sit etiam ipsis inferioribus adaptabilis ad tradita per Io. Monach. post glos. in c. Ordinarij. l. in. 1. & 2. Franc. n. 3. Gem. num. 5. de offic. ordin. lib. 6. Abb. in c. post cessionem in primo notæ quem sequuntur ibi Aret. Felyn. & Dec. de probat. & tenuit Rota in vna Pifcen. seu nullius iurisdictionis 5. Maij 1589. coram Gypso, & per prius in vna Salamantina iurisdictionis 3. Octobris 1579. coram Cardinale Seraphino, in qua fuit dictum, quod Concilium in dict. cap. 8. sess. 7. disponens, quod locorum Ordinarij Ecclesias quasque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, habere etiam locum in inferioribus, licet idem Concilium sess. 4. c. 10. & sess. 25. c. 1. de Episcopis, & non de Ordinarijs loquatur.

2 Nam debet interpretari ex alijs Decretis in quibus sancta Synodus, loquendo de Ordinarijs intellexit, etiam de inferioribus cum vna lex declaret aliam, nec sit conueniens, vt vna, & eadem res diuerso iure censetur ad l. eum, qui ædes de vluap.

RESOLVT. DLXXII.

1 Visitatio spectat ad Episcopum ex intentione fundata in omnes Ecclesias sibi subiectas.

2 Visitari nequit Ecclesia specialiter exempta, quoad visitationem.

Vbi Ecclesia est specialiter exempta, an Episcopus possit illam visitare virtute Concilii.

1 Communis, & trita conclusio, quod Episcopus de iure communi habet intentionem fundatam, vt possit visitare omnes Ecclesias sibi subiectas c. 1. §. hæc

autem, & ibi Gemin. de censibus li. 6. Soc. de visit. col. 4. num. 4. versic. 10. quæro, & subiectæ præsumuntur quæcunque existentes in sua Diocesi. Rot. decif. 186. n. 1. par. 1. diuersorum.

Quinimmo propria auctoritate, visitare potest, etiam Ecclesias exemptas, quoad visitationem, cum exemptio à visitatione, non comprehendatur sub generali concessione exemptionum facta ad fauorem alicuius Ecclesiæ. Rot. decif. 2. de censibus in antiquis, Achil. decif. 2. de exempt. Rot. diuersorum dictâ decif. 186. num. 2. par. 1.

2 Quod si Ecclesia sit particulariter exempta, quoad visitationem Episcopus illam visitare nequit, nec aliâ quoque illi vnitam, cum ratione vniionis fortiatu eadem exemptionem, & per consequens Ordinarius non potest clericos ibidem existentes corrigere, Achil. de exempt. decif. 1. & de priuileg. 15. Putens decif. 115. lib. 3. & tenuit Rota in vna Pifcen. seu nullius iurisdictionis 7. Maij 1582. coram Gypso, quæ loquitur de Ecclesia Parochiali vnita cuidam Abbatiæ Congregationis Cassinen. quæ habet priuilegia amplissima exemptionis.

3 Ad cuius resolutionis approbationem videnda est decisio Rotæ in vna Iuuenacen. iurisdictionis 29. Aprilis 1577. coram Eminentissimo Card. Lancellotto, cuius tenor est.

Fuit conclusum, quoad caput visitationis, quod Episcopus Iuuenacen. habet fundatam intentionem de iure communi, quoad institutionem Ecclesiæ Teruiceni, cum præsupposito, quod dicta Ecclesia sit sub dictâ Dioc. Iuuenacen. iuxta text. in cap. cum Episcopus de off. ordin. m. 6. cum allegatis.

Nec obstant priuilegia, & exemptiones concessæ dictæ Ecclesiæ per antiquos Episcopos Iuuenacen. relatas in Bulla Latini Cardinalis Legati, quia nulla in eis sit mentio de exemptione à visitatione, & sub generali concessione exemptionum non comprehenditur exemptio à visitatione, iuxta decif. Rot. 2. de cens. in antiquis. & dec. Achil. si de exemptione, sed illa forma remanet Episcopo, vt per Marian. Soc. in tractat. de visit. lib. 6. quæst. 14. num. 16. Minus etiam facit facultas corrigendi, carcèrandi, & multandi concessa dicto Episcopo, quoniam non intelligitur de correctione, quæ fit in visitatione, sed de ea, quæ fit in ordinaria cognitione causarum criminalium, propter præcedentia verba de quibus in dictâ concessione, & quia materia est odiosa, ideo stricte interpretanda.

Non obstat etiam confirmatio dicti Legati, quia est restricta ad declarata, & specificata in literis Heltonis Episcopi, quarum litterarum tenorem dicit Legatus se referre de verbo ad verbum, & in dictis literis infirmantur Priuilegia, & exemptiones concessæ dictæ Ecclesiæ Teruiceni, à suis prædecessoribus, solum quoad particulas expressas, & specificatas, sed in dictis literis de hac exemptione à visitatione verbum nullum præterea in dictis literis Rectoris Episcopi est apposta clausula reseruatim, videlicet reliquis iuribus, & iurisdictionibus Episcopaliibus eidem Episcopo Iuuenacen. & successoribus suis semper saluis, sic ius visitandi dicitur præsentatum Episcopo postquam non est specialiter concessum iuxta not. per glos. in c. 1. §. in eos ver. quantum ad ista de priuileg. in 6. Minus etiam potest fieri fundamentum in sententia Episcopi Birutin. quia in præsens illa refert supra dicta priuilegia concessa per Episcopos Iuuenacen. dictæ Ecclesiæ Teruiceni, & confirmationem dicti Legati postea dicit, quod per testes fuit probatum, quod dicta Ecclesia Teruiceni possedit iura Episcopalia declarata per d. Heltonem, tanto tempore, quod satis est ad inducendam præscriptionem, & quia constitutum, quod sententia Tranen. non fuit mandata executioni contra dictum Archipresbyterum, & quod d. Archipresbyter postea fuit in possessione exemptionum, & libertatum Iurium Episcopaliū, propterea confirmat prædicta priuilegia cum clausula reseruatim reliquis

reliquis iuribus Episcopalis, quæ exstant iurisdictionis, & ordinis Episcopalis, quia cum dicta sententia referat, & se restringat ad prædicta priuilegia, de quibus supra dictum est, non potest comprehendere visitationem.

Quo vero ad collationem ordinum res fuit visa. Dominis satis clara propter expressam formam datam in dictis literis Episcopi Hektoris relatis per d. Legatum, quæ non reperiuntur in aliquo alterata, & ita fuit conclusum circumscripta præscriptione, quam præcedit dictus Archiepiscopus.

RESOLVT. DLXXIII.

- 1 Prothonotarij sunt Principes Notariorum.
- 2 Prothonotarij visitantur ab Episcopis etiam extra actum visitationis.

Prothonotarij Apostolici, an cum sint exempti possint visitari ab Episcopo.

DE Prothonotarijs, multi multa scripserunt, Mandosius de signatura gratiæ tit. Prothonotarij, ubi fusè per tot. Gomez. in proem. super regulis Cancell. q. prima, Ant. de Pratis tract. de iurisdic. Episc. c. 8. n. 16. fo. de Platea l. fin. C. de diuisionib. lib. 10. & lib. 2. c. de Primicerijs lib. 12. ex quibus satis sit hic parua ad materiam desumere.

- 1 Prothonotarios esse primos, & velut Notariorum principes, omnes cõfuerunt Gomezius, Mand. Platea, ubi etiam Alciatum locis iam citatis, & eos in dignitate esse testatur Ant. de Pratis d. c. 8. n. 76. per Bart. l. 1. & 2. C. de Primicerijs lib. 12.

Quos etiam à iurisdictione ordinaria Leonem Pontificem exemisse fusè præter ceteros, refert idem Anton. de Pratis d. tract. de iurisdic. Episcopi c. 4. & c. 8. num. 17. Mandosius ubi suprà ita tamen si Rocchetum, habitumve Prothonotariorum actum deferant, Ant. dict. c. 4. & 8. item Mandosius, quod à iure alienum esse non videtur.

- 2 Quibus suppositis, ut articulum resoluam, dico, & affirmo licere Episcopo visitare quoscunque Clericos seculares exemptos, Prothonotarios Apostolicos, Cappellanos Regios, Acholitatus Comitum Palatini, seu alicuius militiæ, vel Hospitalis titulis insignitis: dummodo actu militiæ, seu Hospitalis, cui adscripti sunt inseruiant, item, & residentes in Curia Romana, & familiares Cardinalium ratione beneficiorum in sua diocesi existentium, ut probat idem Concilium, sess. 24. de reformat. c. 11. & tradit Rodriq. q. regul. 108. art. 3. to. 2. quos refert Nouar. in opusculo noui iur. Pontif. concl. 3. num. 3. de visit. vniuersali.

- 3 Quod, & si resideant etiam in persona in Monasterio in causis delictorum, & correctionis ab eodem Diocesano, siue in visitatione, siue extra visitationem puniri possunt, ut disponit idem Concil. sess. 14. de reformat. c. 4. sed non posse Episcopum virtute d. ca. 4. extra iurisdictionem corrigere, & punire Clericos seculares à se exēptos, & altero inferiori Ordinario seculari intra diocesim existentes subiectos approbavit Summ. Pontifex apud Arment. in addit. ad recopil. legum, Nauar. lib. 1. tit. 6. l. 5. resolutione 2. num. 9. qui text. in d. c. 4. non derogat consuetudini immemorabili, ut annuit Seraphin. decis. 417. n. 7. nec corrigit text. in extrauagan. ad Matthei 3. de Acret. inter comm. ex Cened. ad Clem. collect. 14. n. 9. cum sequent.

RESOLVT. DLXXIV.

- 1 Exemptio generalis Pontificis priuat iure visitandi.
- 2 Exemptio Pontificis liberat quem à reuerentia Episcopi, secus uero si esset Episcopi, & num. 3.

Exemptio plena, & generalis Pontificis an auferat etiam ius visitandi.

- 1 **R**espondetur priuare etiam iure visitandi ob reuerentiam præceptorum Summi Pontificis, ut voluerunt Bal. in cons. 22. vol. 2. Monald. in cons. 71. nu. 6. & ita censuit Rota, ut voluit Achil. in dec. 15. de priuilegijs, cuius tenor est.

Ex hac differentia inter exemptionem Papalem, & eam, quæ conceditur ab Episcopo, tenuerunt Domini in vna Gerunden. iuris visitandi coram Ant. Aug. de anno 1549. veram illam doctrinam Mariani tract. de visitat. col. 12. versic. 1. quæro, ubi voluit in generali, & plena exemptione, etiam esse sublatum ius visitandi; eo magis, quia correctio concedebatur Abbati, & prohibebatur Episcopo, ne posset excommunicare, quæ cum sint coherencia visitatione sublata, etiam censetur correctio, argum. sumpto à contrario in cap. cum venerabilis §. 1. de cõsibus, & decis. Rot. 334. alias 2. de cõsibus in antiquis loquitur, quando Episcopus eximeret, quia tunc non veniret visitatio, & intraret ratio, Imol. in cap. cum ex officio de præscript. quia tunc, quodammodo Episcopus renunciaret visitationi, quod non potest, secus, quando Papa existit, quia ipse poterit deputare visitationem.

- 2 An autem exemptio Pontificis liberet, etiam à reuerentia Episcopi, vide aliam decisionem Rotæ, cuius tenor est, videlicet.

- 3 Exemptio plena Pontificis liberat, etiam à reuerentia Episcopi, licet secus sit in exemptione Episcopali, & sic tenuerunt Domini opinionem, Felyn. contra. Barbat. in cap. cum inter col. 2. de re iudic. quod probat, tex. ubi Paul. de Castro post Bal. in l. fin. C. de bon. libert. & tradit Iason. in l. sed si hac, §. patronum in 4. not. de in ius vocand. & sentit Alex. in l. alia, §. eleganter solut. matrim.

Qua pro opinione vltra tex. dict. l. fin. allegabatur tex. in argumentum in l. etiam, in vers. idem est si à Principe de bon. libert. & in cap. Abbatibus, & cap. luminoso 18. quæst. 2. Nec obstat argumentum de præscriptione, videlicet, quod præscribens exemptionem, tenebatur ad reuerentiam Episcopo, ut per Oldrad. in consil. 254. colum. 1. & 244. colum. 1. in fine, & 172. Abbas in cap. veniens col. 6. versic. pono secundum, de de præscriptione. & Parit. in cap. cum non liceat, num. 42. eodem tit. quia illa iura loquuntur in præscriptione extinctiua reuerentiæ, quia sicut Episcopus per suam exemptionem non liberat à iure reuerentiæ, ita nec per reuerentiam, secus est in præscriptione translatiua in alium, quæ est similis exemptioni Papali, quæ licet liberet ab Episcopo, tamen supponit sibi causam exempti sub sinu Pontificis, ut per Bald. in tract. de exempt.

RESOLVT. DLXXV.

- 1 Visitatio Ecclesiarum nullius diocesis spectat ad Episcopum vicinorem, & quis dicitur Episcopus vicinior, n. 2. & 3.
- 4 Vicinus quis dicatur remittitur arbitrio Iudicis, & n. 5.

Quis dicatur Episcopus vicinior ad effectum visitandi Ecclesias nullius Diocesis.

- 1 **F**acultas visitandi Prælati concessa ampliatur quæque, ut Episcopus Cathedralis Ecclesiæ proximior possit visitare Ecclesias seculares nullius Diocesis, quantumuis exemptas, & Sedi Apostolicæ immediate subiectas, earumque Prælatus secularem in eas iurisdictionem quasi Episcopalem habentem vigore Concil. c. 9. sess. 24. de reform. Mariscott. var. resol. d. c. 15. n. 6. Rota recoll. per Farin. dec. 396. p. 1. to. 1. etiã habetur Episco-

Episcopum in singulis Ecclesijs existētibus infra fines Diocesis habere ius visitandi, non obstantibus quibuscunque privilegijs, per text. Concil. sess. 7. de reformat. c. 8. ad cuius ornatum videndi sunt vltra antiquiores, Azor. institution. moral. lib. 7. c. 40. part. 2. & Nos in Collectan. 1591.

Sed difficultas est, quis dicatur Episcopus vicinior ad effectum visitandi Ecclesias seculares nullius Diocesis, qua in re dicendum in primis est, esse spectandā locorum consuetudinem, vbi illa reperitur, ita tradit Bartol. in l. si tertius in principio n. 2. ff. de aqua plu. arc. Butr. in c. super spec. de privileg. & Sol. in c. quosdam num. 1. de praeump. Alex. conf. 22. n. 7. lib. 4. vbi autem consuetudo deficit, plures casus sunt distinguendi de quibus per Menoch. infr. cit.

3 A qua opinione omnino est recedendum, cum non sit applicabilis proposito casui, & dicas, quod vbi agitur de vicinis ratione locorum, vt Ciuitatum, Vicorum, & Castrorum, quo in casu sunt opiniones, nam gloss. in l. 4. §. si tam vicinum, ff. de dam. infect. sensu duas Ciuitates vicinas esse, cum solum per centum miliaria inter se distant, quae opinio iure non probatur. Altera fuit opinio gloss. in c. praesenti ex text. illo de praebend. vicina loca dici, quae per duas dietas inter se distant, quae sanē opinio illo tantum casu in omnibus absolutē locum habet.

4 Menoch. vero de arbitr. iudic. lib. 2. casu 222. tenet remitti arbitrio iudicis, quis locus dicatur vicinior, allegat gloss. in c. cum nullus, in verbo remotis de tempor. ordin. in 6. in clement. causam in verbo remotis de elec. vbi Card. & Imol. Archid. in c. quicunque 16. quaest. 3. Bar. in dist. 1. 4. §. tam vicinum, & ibi Alexand. in fin. ff. de dam. infect. Bald. in l. si vicinis in fin. C. de nupt. Alex. conf. 17. num. 6. lib. 3. & conf. 22. n. 5. lib. 5. Felyn. in ca. quosdam num. 1. & nu. 3. de praesum. Tiracquel. in repet. l. si vnquam in verb. omnia, vel parte num. 1. C. de reuocand. donat. Mantua. in cap. nonnulli in fin. post Cardin. ibi de resignat. Lamberteng. in comment. ad statum Mediol. prohibens mulieres sine certa solemnitate contrahere in gloss. 1. in verb. in alienat. num. 209. Petrus Gregor. lib. 4. Syntagm. c. 24. num. 4. & Schröder. in tract. feudorum part. 6. cap. 2. num. 4. qui alios refert sua ergo prudentia Iudex secundum suppositam materiam iudicabit loca esse remota, vel vicina. His accedit, quod scriptum reliquit Afflic. in c. 1. nu. 21. versic. sic etiam habet arbitrium ex quibus cau. feu. amit. post Bald. in l. acceptam quaest. 12. de vsur. esse in iudicis arbitrio, quod creditoris domicilium mutatum a primo multum distare dicatur, vel debitor.

5 Qui autem dicatur vicinus, dici illum, qui proximē habitat, ita vt alta voce acclamando audiri possit, Menoch. de arbitr. iudic. casu 222. Mascard. concl. 1406. num. 4. Flores de Mena var. qq. lib. 1. q. 1. num. 6. Sess. decis. Arag. qq. Gon. 5. de Paul. Schol. ad l. styli l. 64. num. 4. cum seq.

RESOLVT. DLXXVI.

Visitari an possint Monasteria exempta commendata.

1 Patet responsio ex verbis Concilij sess. 21. cap. 8. cuius tenor est in Summa, quod commendata Monasteria, etiam Abbatiae, Prioratus, & Propositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis obseruantia.

2 Nec non beneficia, tam curata, quam non curata, secularia, & regularia qualitercumque commendata, quamuis exempta ab Episcopis, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegatis annis singulis visitantur, eurentque iidem Episcopi congruentibus remedijs, etiam per sequestrationem fructuum, vt quae reuocantur. *Prax. Aloys. Ricc. Pars IV.*

tione indigent, aut restauratione reficiantur, vt cura animarum, sicque illis, vel eorum annexis imminet, aliaque debita obsequia exerceantur appellationibus quibuscunque privilegijs consuetudinibus, etiam immemorabili tempore praescriptis conseruatorijs iudicium deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus iuxta Concil. Tridentin. decretum, sess. 21. de reformat. cap. 8. & sess. 25. de regularibus cap. 11. refert. Marefcott. variarum resolutionum lib. 2. c. 15. num. 7.

RESOLVT. DLXXVII.

1 Monasteria regularium exempta, etsi curam animarum non exercent visitantur ab Episcopo.

Monasteria Regularium exempta an visitari possint.

1 Ampliatur pariter potestas Episcoporum, quo ad visitationem locorum exemptorum, vt quamuis Monasteria regularium sint exempta, quo ad Episcopalem iurisdictionem, vt in c. primo de Cappellis Monachorum, tamen quoad eam, quae curam animae concernunt bene visitari possunt, vt voluit Nouarius de visitatione conclus. 3. in fine, cuius haec sunt verba, videlicet.

2 Amplia pariter, vt Episcopus valeat visitare quauis Monasteria, seu Ecclesias, & loca regularium curam animarum habentia in concernentibus tamen ipsam curam, prout & personae talem curam exercentes, etiam regulares in tali casu subsumunt Episcopis locorum Ordinarijs iuxta text. Concil. Trident. sess. 25. de regul. d. c. 1. de cuius materia, vt antiquiores omitam tractat Lyua in exam. Episcop. tit. 16. Antonin. resol. 17. lib. 1. & Nos in prax. resol. 513. & 532. par. 1. & Campanil. in diuers. iur. Canon. Rubric. 12. c. 13. a n. 51. & seq. affirmans, quod in deponentibus a cura animarum Episcopi fruuntur auctoritate in regularibus, itaut, quodammodo veniat in consequentia personarum, vt inquiratur qualiter conseruetur Sanctissimum, & venerabile Sacramentum, & ornata Ecclesiae, ex Seraphin. decis. 1067. annuus pariter d. c. 3. num. 52. quod in casibus, in quibus locorum ordinarijs competit facultas visitandi Monasteria regularium, vel alia exempta, si dum ipsi ingredi velint ex tali causa praedicta Monasteria, Regulares sint renitentes illos intromittere, ostia claudendo, valebunt mandare, vt portae frangantur, & num. 53. Addit. licere Episcopo excommunicare visitationem impediētes, etiam non adhibitis monitionibus in ipso actu manifestae violentiae sibi illatae, quod pariter tutatur Genuen. in prax. Cur. Archiep. c. 8.

RESOLVT. DLXXVIII.

1 Hospitalia visitantur ab Episcopis locorum, etiam extra actus visitationis num. 4.

2 Collegia montes pietatis, & confraternitates laicorum, quando visitantur ab Ordinarijs locorum.

3 Visitari possunt pia loca ab Ordinarijs.

An Hospitalia exempta visitari possint per Episcopum.

1 Locorum Ordinarijs singulis competit visitandi facultas, & curare maximopere debeat, vt hospitalitatis opus fideliter administretur, ita Sac. Concil. Trident. sess. 7. de reform. capit. 16. & sess. 25. cap. 8.

2 Ita vt tamquam Sedis Apostolicae delegati potuntur iure visitandi huiusmodi Hospitalia, & collegia montes pietatis, Eltauritas, & Confraternitates laicorum

eorum quocumque nomine nuncupatus, non tamen sunt sub Regum immediata protectione, absque eorum licentia ex eod. Sac. Conc. sess. 22. de reformat. cap. 8.

3 Amplia, ut singula pia loca priuata possint visitari ab Episcopo, siue sint erecta ipsius auctoritate, siue non, ut determinat Bonadill. in sua prolit. lib. 2. cap. 17. num. 39. Garfia de benefic. part. 5. cap. 1. num. 602. in fin.

4 Amplia quoque, ut Episcopi virtute Concilij, non solum in ipso actu visitationis ius habent visitandi Hospitalia, & pia loca omnia, etiam extra visitationem, & in casibus a iure non expressis, ut censuisse Sac. Congr. fatetur Bellef. in disqui. Cleric. part. 1. titul. de bonis cleric. §. 12. num. 6. docens numer. 7. eandem Sac. Congr. in vna Montis Pietatis Bauener. de anno 1617. respondisse licere Episcopo pro bono regimine Montis Pietatis decreta ipsius confirmare, reformare, & augere, non tam in visitatione, quam extra, & sibi referuare facultatem huiusmodi decreta reformandi, & augendi ad sui libitum.

Amplia procedere, etiam si in fundatione Hospitalis esset dictum, quod ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, cum non potuerit fundator eximere ab Episcopi potestate, Barb. de potestate Episcopi c. 1. num. 3. & 5. Licet contrarium fuisse decisum per Sac. Congreg. dicat Armand. in addit. ad recompile. eorum Nauar. lib. 1. tit. 6. l. 5. num. 66. & per Sanctam Sedem rescriptum testetur Crass. de effect. cleric. effect. 1. num. 610.

Declarat tamen non habere locum, quando Hospitalia, vel aliud simile esset nouiter fundatum, & fundator viuerat, nam visitare nequit contradicente fundatore, Nauar. consil. 3. de Religiof. domib. Sayr. decis. 3. eod. tit. & de his omnibus Nouarius in opuscul. noui iur. Pontific. concl. 3. de institut.

RESOLVT. DLXXIX.

Quid statuatur Concilium Tridentinum, circa visitationem locorum, & personarum exemptionum.

1 In sess. 7. Concilij Tridentini cap. 12. de reformat. hæc habentur. Cuncti Ordinarii, ut Hospitalia quacumque a suis administratoribus quocumque illi nomine censentur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur Constitutiones Concilij Vniuersalis, quæ incipit, quia contingit forma seruata, quam quidem Constitutionem Sancta Synodus innotandam duxit, & innovat cum derogationibus in ea contentis.

2 Super quo text. emanarunt infrascriptæ declarationes Eminentissimorum Cardinalium Concilij interpretum, & sunt videlicet.

In text. ibi fideliter, & diligenter gubernentur Declar. Cardin. Quia curare debent Episcopi, ut Hospitalia a suis administratoribus quomodolibet exemptis diligenter, ac fideliter gubernentur, dubium non est, quin illorum visitationem instituere debent, ut per illam cognoscere possint, quæ facere debeant administratores Hospitalium, Confraternitatum Constitutionis Concilij Vniuersalis. Hæc Constitutio habetur in Clem. eod. tit. vide illam in gloss. super cap. quia ad Collegij de Magistris verb. Concilij Vniuersalis.

3 Item in eadem sess. cap. 2. hæc habentur. Habeant Episcopi ius visitandi Hospitalia, Collegia quacumque, ac Confraternitates Laicorum, etiam quas Scholas, siue quocumque alio nomine vocant, non tamen, quæ sub Regum protectione sunt sine eorum licentia Eleemosinas Montis Pietatis, siue charitatis, & pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiam si ad Laicos pertineant, atque

eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta Sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine etiam inmemorabili privilegio, aut statuto.

4 Super quo text. emanarunt infrascriptæ declarationes habent ius Hospitalia Declar. Card. Licet autem, hoc decretum concedat facultatem Episcopis visitandi Hospitalia, & cetera pia loca non prohibet, tamen quin etiam, & Indices seculares eadem visitare possint, sic hoc eis aliis legitime cõpetit, non obstante prohibitione in fundatione Hospitalis, quod Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, possit Ordinarius vigore præsentis cap. dictum Hospitalia visitare Congregatio censuit Ordinarium posse visitare Hospitalia priuata, & ex hoc Decreto corrigere, & reformare in his tantum, quæ ad observandam voluntatem fundatorum pertinet, & ex alio decreto sess. 22. cap. 9. auctoritatem habere exigendi rationem ab administratoribus ipsius Hospitalis vna cum illius deputatis quibus ex consuetudine ratio reddenda est: Ordinarius non habet auctoritatem visitandi Hospitalia, neque Confraternitates, quæ a Laicis reguntur, nisi in casibus a iure expressis, caput autem hoc intelligitur, et habet locum tantum in casibus a iure communiter permixtis, licet autem Ordinario ab eis ratione in administrationis exigere nulla habita ratione iuris communis, sed seruata tantum huius cap. dispositione Ordinarius Hospitalia etiam priuata visitare, & corrigere potest in his tantum, quæ pertinent ad observationem voluntatis fundatoris Hospitalia etiam vnita in quibus Ecclesiæ sunt, ubi assidue Diuina officia celebrentur, & bona eorum, & earum non sunt distincta debent ab Ordinariis visitari.

5 Confraternitates laicorum Decl. Card. Episcopus potest visitare Confraternitates personarum secularium in Ecclesiis Regularium exemptionum existentes, non autem eorum Cappellas, vel Altarias, quæ intra eandem Ecclesiis consistunt. Item declarat. Cardin. Episcopus potest visitare Cappellas Confraternitatum Laicorum in Ecclesiis regularium erectas, & cogere administratores, quæ sub Regum immediata protectione sunt. Et an in exceptione, quæ hic excipiuntur Hospitalia, quæ sub Regum immediata protectione sunt, ut sine eorum licentia non possint ab Episcopis visitari comprehendantur omnia Hospitalia, quæ sunt in eorum diocibus, & Regibus, Congregatio censuit non comprehendenda Hospitalia, nisi quæ expressè reperiuntur sub Regum protectione Congregatio censuit si Episcopo Hospitalia aliquod visitare volenti iuxta hoc cap. opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, utique non ad secularem indiciem, sed ad ipsummet Episcopum de talibus exceptionibus cognitionem, & diffinitionem pertinere.

6 Cura ad laicos Declar. Card. Hospitalia licet a laicis ministrantur, & sint sub protectione Ducum, si alias Ecclesiastica erant, possunt ab Ordinariis visitari, & potest Episcopus in eis exequi, quæ in hoc decreto continentur. Congregatio censuit Episcopum visitare posse omnia Hospitalia, & pia loca quocumque nomine nuncupentur, etiam si sint priuata laicorum, & corrigere, & reformare in casibus a iure concessis nempe ob negligentiam, uel dilapidationem bonorum, utque testatoris voluntas seruetur iuxta hoc Decretum.

7 Eadem pia loca Decl. Card. Etiam si sint priuata Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Episcopus Abulensis nuper volens visitare quoddam Hospitalia de Olmendo a laicis ibi fundatum, necnon Cappellanas in eo existentes fuit impeditus a Religiosis Sancti Hieronymi præsentibus ad eos dicti Hospitalis administrationem spectare, ad quorum instantiam processus ad seculares Iudices delatus fuit, quo tamen non obstante Episcopus prætendit vigore huius cap. dictum Hospitalia visitare posse, & ita iupplicatur declarari, etiam si dictus

Prior

Prior à fundatione fuerit patronus institutus. Congregatio Concilij censuit ex Decreto huius capite Episcopum posse visitare nisi aliter cautum sit in fundatione, & licet prædictus prior instaret attentis verbis in fine dictæ declarationis, tamen, quia verba institutionis dicti Hospitalis, & iuris patronatus erant huiusmodi, videlicet item rogo, & peto in gratiam, & elemosinam, & propter seruitium Domini Nostri à Domino Priore nunc temporis Beate Mariæ della Mezza Vada Ordinis Sancti Hieronymi, ut tempore meæ migrationis ab hac præsentis vita, & ab eius successoribus pro tempore, & in perpetuum exeuntibus in dicto Monasterio, sint patroni dicti Hospitalis, quod ita fundo, & relinquo fundatum, quos ego nomino in tales patronos successuè vnun post alium, ita ut Prior pro tempore dicti Monasterij patronus dicti mei Hospitalis, quod ita fundauit, ut illud visite, & in eo providere debeat, quicquid ei videbitur conuenire pro illius sustentatione in quantum sufficient redditus, quos ego relinquo dicto Hospitali, adeo, quod dictus apponat personam fidelem, & bonæ conscientie, quæ locare debeat hereditates, & bona per me dicto Hospitali relicta, exigatq; eorum redditus eosq; iustè, & sincere exponat in sustentationem ipsius Hospitalis, & illius manutentionem, & personarum, & operum ibi bene gestorum, prout redditus per me relicti sufficient, dante dicto patrono tali persone pro eius labore ex redditibus dicti Hospitalis, quod sibi videbitur mereri dictusq; patronus singulo anno recipiat computum dictorum introitum, & visite Capellam, & sciat an Missæ illius quas ego instituo celebrentur, & exigat pœna à Clericis, & Capitulo huius oppidi de Olmedo si eas incurrerint ob non celebrationem dictarum Missarum virtute, & vigore horum verborum, siue clausule prædictæ iuris patronatus, & testamenti, quia in prædicta fundatione non fuit cautum, ut Episcopus nullatenus se immisceret: Congregatio Concilij respondit non bene constare quia fundatio, quæ producit non excludit Episcopos à visitatione.

8 Exemptionis priuilegio declarat Cardin. Si loca pia in eorum fundatione exempta facta fuissent ab Ordinario per hoc decretum nihil eis derogatum.

Iuxta Sacrorum Canonum itatuta Concord. text. in c. tua c. Ioan. de testam.

9 Cognoscant, & exequantur Declar. Cardin. Congregat. Censuit Episcopum habere votum absoluendi, & condemnandi ceteris deputatis, & illius votum commutari debere cum voto ceterorum, quorum maior pars votorum condemnat, vel absoluit.

10 Non obstantibus declarat Cardin. Non obstat, quod videatur hæc facultas à iure data Episcopis c. tua, & c. communis de test. bus, & ita Concilium sustulisse eam habentibus ex consuetudine, vel priuilegio, nam etiam de iure potest competere inferioribus Prelatis, quia hoc est officium necessarium, & potius dicitur onus, quam honor.

11 Priuilegio declarat Cardin. Nec obstat, quod qui debent persolvere aliquod legatum sint officiales Sancti Antonij, vel Inquisitionis, & ideo exempti à Iurisdictione Ordinarij, vel professores in aliqua Vniuersitate ratione literarum conseruatoriarum, quæ eximunt à Iurisdictione ordinaria non autem delegata à Sede Apostolica.

12 Aut itatuta declarat Cardin. Concilium hic non sustulit fundationem, quare quando in fundatione cautum est, ut non possit uisitari ab Ordinario Ordinarius ex hoc decreto non poterit uisitare. Congregatio censuit executionem aduersus administratores condemnatos iuxta hoc dec. sine soli Ordinario reddita fuerit ratio, siue una cum alijs ad ipsummet Ordinarium spectare. Congregatio censuit Decretum hoc debere habere locum etiam extra uisitationem, & in casibus à iure non expressis, & licet Episcopis exigere rationem ab administrationibus, etiam locorum mere laicorum, & priuatorum generaliter, sine ulla distinctione, & quando ex priuilegio, vel consuetudine, vel Aloyj. Ricc. Praxis Pars IV.

aliqua alia Constitutione alijs reddenda, nisi in fundatione aliter cautum est, nempe, quod rationes, nec Ordinario reddendæ essent. Congregatio censuit Ordinarium ex hoc cap. posse ab administratoribus Hospitalium, aliorumque piorum locorum rationem administrationis exigere donec eoram Ordinario eod. m. doctum fuerit de institutione in qua secus expressè cautum sit præsupposita consuetudine potest proprius Sacerdos Hospitalis pauperib. ibi degentibus Sacramenta ministrare, ibique eosdem sepelire, absque interuentu Parochi, dummodo Sacerdos Hospitalis ab Ordinario sit approbatus.

PRAXIS POTESTATIS ABBATVM conferendi Ordines minores.

RESOLVT. DLXXX.

Quid disponat S. C. Trident.

1 Sac. Concil. Trident. sess. 23. cap. 5. ita censuit Abbatibus, ac alijs quibuscunque quarumvis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius Diocesis consentientibus, etiam si nullius Diocesis, vel exempti esse dicantur cuiquam qui regularis subditus sibi non sit Tonsuram, vel Minores Ordines conferre, nec ipsi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque etiam Ecclesiarum Cathedralium litteras Dimissorias aliquibus Clericis secularibus, ut ab alijs ordinentur concedant, sed horum omnium ordinario seruatis omnibus, quæ in huius Sacrosanctæ Synodi Decretis continentur ad Episcopos intra quorum Diocesis fines existant pertineat, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus: penam quoque impositam ijs, qui contra huius Sanctæ Synodi sub Paulo III. Decretum à Capitulo Episcopali Sede vacante litteras Dimissorias impetrant ad illos, qui easdem litteras non à Capitulo, sed ab alijs quibuscunque in iurisdic. Episc. loco Capituli Sede vacante succedentibus obtulerint, mandat extendi concedentes autem Dimissorias contra formam Decreti ab officio, & beneficio per annum sint ipso iure suspensi.

RESOLVT. DLXXXI.

1 Episcopus est dispensator Sacramenti Ordinis.

2 Abbatibus competit facultas ordinandi ex priuilegio.

Iurisdicctio concessa Abbatibus conferendi ordines an sit ordinaria, vel delegata.

1 Sacramenti ordinis verè, & propriè Episcopum esse dispensatorem de fide definitum est in Conc. Trident. sess. 23. de Sacram. ordinis can. 4. & latè probant D. Th. 3. p. quæst. 65. art. 3. argum. 2. Bonau. in 4. dist. 25. art. 1. q. 1. vbi Ric. art. 1. quæst. 1. & Palud. q. 1. art. 2. Victor. de Sacram. ordinis num. 2. 3. & 4. Praxis noua Episcop. p. 1. c. 1. num. 6. pag. 26. Cocc. in Tesauro Catholico lib. 7. art. 18. Boran. de Sacram. dispu. 8. quæst. vnic. punct. 5. numer. 1. Henric. libr. 10. cap. 21. Vasqu. in 3. p. D. Thom. rom. 3. disput. 243. & 245. Reginald. in prax. for. penitent. lib. 30. numer. 3.

Ampliat etiam si Episcopus esset excommunicatus, hæreticus, aut degradatus, suspensus, vel interdictus, adhuc enim retinet characterem, & potestatem conferendi ordines, & si formam Ecclesiæ seruans illum audeat ordinare, validè characterem imprimi, & validè ordines confert, licet minus id faciat, & ordinatus propterea executione careat, ita tex. in c. 2.

Si 2 19. dist.